

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica IV. post trinitat.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## DOMINICA IV. POST TRINITAT.

*Evangelium Luc. 6. v. 36 -- 42.*

## EXORDIUM.

**C**Um Templum Hierosolymitanum aliquamdiu in manu hostium fuisset, cessante in illo vero Dei cultu, sanctificatio deserta erat, & altare prophanatum, & portæ exusta, & in atriiis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus. Propterea Judas Macchabeus, in fugam coniectis hostibus, ordinavit, ut sanctuarium emundaretur, contaminatio tolleretur, & altare, quod ab hostibus prophanatum erat, destrueretur, ejusque loco novum ædificaretur. Deinde obtulerunt sacrificium, secundum legem, in canticis, & cytharis, & cingriis, & in cymbalis, & cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt & benedixerunt in cælum eum, qui prosperavit eis, 1. Macc. 4. 38.

Nos Dilecti ! principio conditi eramus, ut Templum Dei vivi essemus, 1. Corinth. 3. v. 16. Verum per tristem Protoplastorum lapsum in Dæmonis infernalis potestatem devenimus, is templum cordis nostri occupavit adeo devastatum, ut loco fructuum Spiritus, nil nisi spinæ & tribuli enascantur, quales sunt: homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias, aliaque nefanda, quæ coinquinant hominem, Matth. 15. v. 19. Iccirco Christus venit, tanquam Dominus templi, Mal. 3. v. 1. & reformationem instituit, dum nobis voluntatem Patris cælestis manifestavit, ut sciamus, quid facere, quidque omittere nos oporteat. Deum enim nemo vidit unquam: Unigenitus Filius

qui est in sinu Patris, ipse enarravit, Joh. 1. v. 18.

Quando ad hujus voluntatem vitam nostram componimus, tunc debitum nostrum implemus, offerentes Deo sacrificium in justitiâ: quod placebit Domino, sicut in diebus antiquis, & sicut in annis prioribus, Mal. 3. v. 4. & hoc quidem propter Christum, in quo nos gratificavit Pater, Eph. 1. v. 6.

Præclaram hujus rei ideam in prælectâ Pericope habemus, ubi Dominus Legislatoris officio fungitur, & non modò discipulis & Apostolis suis: sed nobis quoque omnibus Regulas certas præscribit, quomodo nos erga proximum gerere debeamus, nisi Spiritus sancti templum destruere atque disperdere velimus: non enim habitat in anima malevola, nec in corpore peccatis subdito, Sap. 1. v. 4. sed ubi templum suum habet, ibi & fructus ejus inveniuntur, descripti, Galat. 5. v. 22.

Nos videbimus pro instituti ratione

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

## Exegetis.

**A**Nte octiduum audivimus de ove perditâ, quanta cura à Pastore restituta fuerit, nempe sic, ut nonaginta novem

uu in

in deserto dimiserit, vadens ad illam, quæ perierat, donec invenerit eam, & ad gregem reduxerit. Hoc de Christo Salvatore intelligendum, qui tanquam verus, & fidelis pastor in mundum venit, quærere & salvare, quod perierat, Matth. 18. v. 11.

Quemadmodum vero terrenus pastor oviculas suas non modò in sana pascua deducit: sed & adversus lupum easdem tueretur: Ita Christus fidelis ille ἀρχιεργαὶς & Episcopus animarum nostrarum facit, 1. Petr. 5. v. 4. quando non saltem agenda nobis præteribit, sed & ab iis, quæ animæ incommodant, dehortatur, idque modò *Negative*: Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini: modò *Affirmative*: Dimittite, & dimittetur vobis, date & dabitur vobis &c.

*Querela respicit*

I. *Judicandi levitatem*, quæ in hoc mundi senio adeò invaluit, ut optima quæque in sequiorem partem mali interpretentur. Hoc non latuit optimum Servatorem, cui id sæpè accidit, idèd inquit in prælectâ Paricope: Nolite judicare & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Quibus verbis iudicium temerarium notatur, quando quis alterum contrâ propriæ scientiæ & conscientiæ dictamen mendacis & calumniis operatur, & condemnat, ut Pontificis valdè familiare est, qui nostram Evangelico-Lutheranam doctrinam in verbo Dei sufficienter fundatam, hæreseos arguunt, adeoque nos condemnant & Diabolo devotent. Sic & suspicio contrâ proximum, quæ tamen ut plurimum vanissima est, in-

valuit. Exempla invenies, 1. Sam. 22. v. 18. & Act. 28. v. 4.

Adhuc hodiè judicandi hæc levitas in omnibus Hierarchiis subindè exercetur, Quis me constituit judicem? ait Absolon. Quis me consulem? quis vicarium? ajunt nasutuli; Verùm, quid ait Siracides? Altiora te ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris, Sir. 3. v. 24.

Equidem quod ipsa Dei lex pro peccatis agnoscit, id minimè probandum, sed potius judicandum & condemnandum est, à quolibet eâ ratione, quam officii ejus ratio requirit: Væ enim, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, Esa. 5. v. 20.

Verùm res certa sit oportet, observandum quippè illud Siracidis: Corripe amicum, ne fortè non fecerit, aut si fecerit, ne iterum addat facere, c. 19. v. 13.

Secus res se habet, si exploratum satis est, quempiam in falsa doctrinâ vel vita profanâ, sine præviâ poenitentia decessisse: cur enim ibi non judicares? cur non condemnares? Caritas quidem meliora quæque sperat, 1. Cor. 13. v. 7. sed non sine fundamento: Ut enim lignum ceciderit, ibi erit, Eccles. 11. v. 3.

II. *Cæci ducis & ducti temeritatem*, de quâ Servator: Num potest cæcus cæcum ducere, nonne ambo in foveam cadent?

Ejusmodi cæcorum duces hodie tenus adhuc multi occurrunt:

I. *In Choro*, ut sunt hypocritæ & Pharisæi, qui de vero Christianismo multa gariunt, sed ne digitulo quidem attingunt, de his Servator: Dicunt & non faciunt, Matth. 23. v. 3. Iccirco verè cæcorum duces sunt; cæci in notitiâ Dei, occæ-

cati

cati in hypocrisis & incredulitate, ut non ineptè in illos quadret illud Pauli, Rom. 2. v. 22.

2. *In Foro.* Ubi hic vel ille iudex mali pœnam irrogare tenetur, cui tamen ipse profundius immerfus est. Hinc infinita mala & scandala in subditos transeunt. Nam secundum iudicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in eâ, Sir. 10. v. 2. Magistratui Deus gladium accinxit, quem non sine causa portat: sed Dei minister est, vindex in iram ei, qui malè agit, Rom. 13. v. 4. idque fiat oportet, sine acceptione personæ cujusdam, Deut. 1. v. 17. ubi igitur muneribus corrumpi se patitur & connivet, ubi iustitia exercenda foret, ibi locum habet illud Propheta: Qui dirigunt populum istum, seductores sunt, & qui diriguntur, absorbentur, Esa. 9. v. 17.

3. *In Toro.* Tales sunt parentes illi, quorum esset liberos suos ad bonum educare, & ipsi didicerunt malum, ut nequeant benefacere, Jer. 13. v. 23. quo ipso liberi scandalizantur, ut à teneris in omnibus nequitias patriissent, donec abeant ad progeniem patrum suorum, & in æternum usque non videant lucem, Psal. 49. v. 20. Hi omnes cæci cæcorum ducès sunt, à quibus nos Christus in Evangelio præmonet.

Quilibet in rebus fidei accuratè sibi prospiciat, quibus doctoribus & ducibus utatur, non credens omni Spiritui, sed probans Spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetae exierunt in mundum, 1. Joh. 4. v. 1. ab impiis egredietur impietas, 1. Sam. 24. v. 14. & falcinatio nugacitatis obscurat bona Sap. 4. v. 12.

III. *Hypocritarum iniquitatem*, qui festucam in oculo fratris facillè vident, sed trabem in oculo suo non considerant, ut Servator in Evangelio loquitur. Quod iterum Phariseis & Scribis dictum: qui multa in Christo ejusque discipulis reprehendebant, cum ipsi vitiiis non exiguis obnoxii fuerint.

Adhuc hodiè multi reperiuntur hypocritæ, qui seipos justificant, alios verò despiciunt. Non enim videmus manticæ, quod in tergo est. Considera ergo te ipsum, ne & tu tenteris, Gal. 6. v. 1. Filii Jacobi fratrem Josephum odio infensissimo prosequabantur, quod somnia habebat, somniatorem eum inde appellantes, Gen. 37. v. 19. & hoc sufficientem inimicitia causam arbitrabantur, ipsi verò homicidæ & incestuosi erant, quod non videbant, Gen. 37. v. 5. Confer parabolam Matth. 18. v. 25.

Quod si quotidianam praxin intuemur, hic alterum contemnit ratione paupertatis, & ipse trabem avaritiæ in corde suo non sentit, quæ in interitum & perditionem mergit homines, 1. Tim. 6. v. 9. Alius spernit proximum ob inscitiam & simplicitatem, & ipse non cernit in corde suo trabem impietatis, quod arte & scientia suâ abutatur in perniciem proximi, unde haud abs re Sitacides: Melior est homo, qui minuitur sapientiâ & deficiens sensu in timore Dei, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi, Sir. 19. v. 21.

Hoc turpe vitium, quod meritò declinandum est nobis. Judæi proverbio utebantur, quod perperam Christo applicabāt, dicentes: Medice, cura te ipsum, Luc. 4. v. 23. Sanius verò erit, ut nos ipsos eo invicè

excitemus, quoniam omnes in corruptione sumus, Sir. 8. v. 6.

Qui igitur ad aliorum errata notanda proclivis est, is meminerit, quanta vitiorum colluvies ad januam suam verferetur, apprimè studens, quomodo eam removeat, & faciliè navis aliorum condonaturus est. Deindè pœnam recordetur, quæ certissimè ejusmodi malevolos insequetur, ut & ipsi tandem judicium sine misericordia subituri, abominatio omni carni futuri sint, Esa. 66. v. ult.

- - Absentem qui rødit amicum,  
Qui non defendit alio culpante, solutos  
Qui captat risus hominum, famamque  
dicacis,

Fingere qui non visa potest, commissa  
tacere

Qui nequit; hic niger est, hunc tu Romano  
caveto.

Hic Ethnicus minimè probavit iniquos hosce judices, quanto minus Deus probabit? Quin potius occinet illis Davidis illud: Cur recitas statuta mea, & assumis testamentum meum per os tuum? Psal. 50. v. 16.

Hæc memineritis Vos mei! prohibentes linguam vestrã à malo, & labia vestra, ne loquantur dolum, Psal. 34. v. 14. Psal. 15. v. 13.

### De Secundo.

Sequitur Medela, quæ fuit  
1. Ex affectus paterni consideratione: hinc Christus: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

Principes atque Magnates pro insigni gloriã sibi ducunt, si illustri loco nati, ma-

jores nobiles à quarta usque generatione accessere possint. Sed nihili æstimandum est, respectu nobilitatis, quã Christus fideles suos insignivit, quod cum ipso eundem Deum & Patrem habeamus, hinc ait: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum, Joh. 20. v. 18.

Confidite, vos mei! in omnibus calamitatibus. Si Deus Pater noster, benè nobis erit, nos enim liberi ejus sumus. Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Matth. 7. v. 9.

Si Deus Pater, nosque filii ejus, Christus frater noster est, hinc compellare possumus eum: Fratrem ne desere frater! hoc si fecerimus, exaudiet nos, futurus nobiscum in tribulatione: eripiet nos & glorificabit nos, Psal. 191. v. 15. 16. Propterea enim non Angelos, sed semen Abrahamæ apprehendit, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi. In eo, enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr. 2. v. 16.

Si Deus Pater & nos filii ejus, hæredes quoque ejus sumus, ut Paulus colligit, Rom. 8. v. 17. Utique hæredes ejus, quos præclara hæreditas manet, nempe vita æterna, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 12.

Margareta, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæque Regina, adoptavit Ericum, Ducem Pomeraniæ: hæc magna gratia fuit, Sic enim hic Dux tria accepit Regna, Sed nos hæreditas multò amplior manet, ratione spiritualis adoptionis, quam Christus nobis

bis

bis apud Patrem suum peperit, nempe non coronas tres transitorias, ut Ericus: sed coronas tres nunquam desituras, coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. coronam justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. coronam gloriæ, 1. Petr. 5. v. 4. Reges quippe futuri sumus coram Deo Patre & Filio ejus Jesu Christo, in æternum, Apoc. 1. v. 6.

II. *Ex superabundanti mensuratione.* Eadem quippe mensura, ait Servator, quæ mensi fueritis, remetientur vobis alii. Est hoc jus talionis quod Deus optimè moderari novit. Nos homunciones facilè in excessu delinquimus, ratione vindictæ privatæ, quæ multis adeò arridet, ut mortem non refugiant, modo vindictam in hostem exercere queant. Sed nefas hoc est. Non vosmetipsos vindicantes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus, Rom. 12. v. 18. quod fiet die novissimo, quando Dominus retribuet retributionem unicuique in caput ipsorum, Sir. 17. v. 19. 2. Thess. 1. v. 6.

Recordemini hoc, si crux vos infestet, Dominus omnia disposuit, in mensurâ & numero & pondere, Sap. 11. v. 21. Quæcunque igitur obvenerint tibi, sive bona sive mala, boni consule, & memento Deum tibi ad mensurasse, hinc neque plus neque minus obtingere tibi potest, quàm Deus ordinavit tibi, siquidem neque capillus capitis petire potest, Matth. 10. v. 30.

Quandocunque igitur in prosperis mensuram plenam infundit tibi Deus, gratias ei age, inquit: Calicem salutis accipiam, & de nomine Domini prædicabo, Psal. 116. v. 13. sin verò in adversis mensura lacrymarum & mœroris tibi infunditur,

animam tuam impatientia custodi, cum Jobo inquit: Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus, Job. 2. v. 10. Eccl. 7. v. 15.

Hoc si feceris, Deus suo tempore lucris & lacrymarum mensuram auferet, tibi que mensuram bonam, & confertam & coagitatam, & superfluentem gaudii cœlestes dabit in sinum tuum. Nam momentanea levitas tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 2. Corinth. 4. v. 17.

III. *Ex beneficentia compensatione.* Non enim fallit verbum Christi: Date & dabitur vobis. Si multum igitur tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri stude, Tob. 4. v. 9. Non certè pœnitebit te, hilarem enim datorem diligit Deus, 2. Cor. 9. v. 7.

Vidua Sareptana ministravit Eliæ cibum: & hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei minuta est, quamdiu annoræ caritas duravit, 1. Reg. 17. v. 9.

Id quod & Sunamitis experta: quia enim erga Eliæum benefica erat, ut quoties transiret, diverteretur ad eam, & comederet panem: quin & cœnaculum parvum faceret ei, poneretque ei in eo lectulum, & mensam & sellam, & candelabrum: Deus beneficentiam hanc filioso compensavit, quem mortuum Eliæus resuscitavit, 2. Reg. 4. v. 8 seqq.

Jobus buccellam suam non solus comedit, sed comedit eam pupillus. Job. 31. v. 17. & copiosè benedixit ei Dominus, & licet felicitas ejus aliquantisper interrumpetur: tamen fide ejus probatâ, omnia duplò recepit Job. 42. v. 12.

Cornelius Centurio fecit eleemosynas multas plebi, propterea non modò quoad corpus & facultates terrenas, sed animam quoque, largiter benedictus fuit, Actor. 10. v. 1.

Hæc exempla hodiè tenus veri Christiani imitentur, & largiter liberalitatem seminant, instar agricolæ, qui semen suum plenâ manu & cum cantu disseminat, non dubitantes, quin copiosam aliquando messem sint recepturi. Qui enim seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: qui verò parcè seminat, parcè & metet, 2. Cor. 9. v. 6.

Quodsi igitur parcè metere non vultis, parcè neque seminare vos oportet, sed liberaliter de substantia vestra erogetis, nec de terrenis modò sed & cœlestibus bonis idem retribuetur vobis. Pro pane enim quem pauperibus communicastis, manducabitis panem in Regno Dei, Luc. 14. v. 15. inuenientes cum Christo vitam & abundantiam, Joh. 10. v. 11.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Misericordiam exerce.* Idèd Christus in ipso Evangelii exordio ait: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Hæc verba mandatoria sunt, in quibus Christus nobis ob oculos ponit, primò, *Natura nostra perversitatem*, quæ adèd depravata est, ut nos ipsos saltem respiciamus, nihil patientes super contritione Joseph, Amos 6. v. 6. propterea dicitur: *vide de*, ut indicetur, naturâ tales non esse, ideoque opus esse, ut misericordiam in se-

quamur, instar venatoris, tamdiu feram investigantis, dum in rete suam pertrahat. Deindè ostendit quoque nobis *Continuationis necessitatem*, ut bonum facientes non defatigemur, tempore enim suo metemus non delassati, Gal. 6. v. 9. Tertio *debitam conformitatem*. Probi filii libenter vestigiis parentum insistent, & apprimè cavent, ne degenerent, ut junior Tobias, cui propterea Gabel hoc elogium accinit: Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deum & c. Tob. 9. v. 9.

Quodsi igitur filii Dei esse cupimus, & nos misericordiæ studeamus, sicut Pater noster in cœlo misericors est: secus spurii sumus, Hebr. 12. v. 19. quos aliquando iudicium sine misericordiâ expectabit, Jac. 2. v. 13.

Potuisse nobis Servator alia exempla, quæ affatim in Scripturâ exstant nobis commendare, imprimis illud Jobi, c. 31. v. 18. c. 29. v. 16. Verùm ab omnibus creaturis abducit nos, unicè ad exemplum Patris cœlestis nos relegans, qui aliàs Pater misericordiarum dicitur, 2. Cor. 1. v. 3. cuius miserationes diluculo novæ, Thren. 3. v. 23. & usque in æternum super timentes eum, Psal. 103. v. 17.

Sicut igitur Deus misericordiam suam exercet

1. *Universaliter*, juxta illud Psal. 145. v. 15. ita & nos bonum facientes, non defatigemur, Gal. 6. v. 10. Caritas enim benigna est semper, 1. Cor. 13. v. 4. Hinc Servator, Matth. 5. v. 43. Hæc vera misericordiæ proprietas est, ut non respiciat personam proximi sed Dei mandatum: si proximus indignus videtur cui datur,

letur, attamen Dei mandatum dignum est, quod observetur: quod si illi compensare nequeunt, Deus remunerator summus memor erit, Sir. 3. v. 54.

2. *Simpliciter.* Non enim compensationem venatur Deus, sed contentus est gratiarum actione. Sic nos quoque misericordiam exerceamus, non ut videamur ab hominibus, ut Pharisei, Matth. 23. v. 5. *Venatio hoc magis quam beneficentia est*, ait Hieronymus. Talis habet mercedem suam, Matth. 6. v. 3.

Quod si verò Patrem cœlestem in misericordiâ imitatur, vicissim misericordiam consequemur, Matth. 5. v. 7. audituri lætabilem ex ore Christi vocem: Venite benedicti Patris mei, Matth. 25. v. 35. & seqq.

II. *Proximo ignosce*, sic enim Servator: Remittite, & remittetur vobis.

Id probè observemus.

Quando duo comites in via cœnosa & lubrica iter faciunt, facilè fieri potest ut alter alterum inquinet, fieri quoque potest, ut alter titubet & cadat; ibi comitis est, ut ipsi ignoscat, eumque porrecta manu erigat. Sic via vitæ hujus admodum cœnosa & lubrica est, unde facilè fieri potest, ut præoccupemur in delicto aliquo, & offendamus proximum, vel offendamur ab eo. Hic utrinque æqua *invenietur* locum habeat, ne iracundiæ frena laxemus: sed eo ipso die cum proximo in gratiam redeamus, *ne Sol abscedat testis nostri furoris*, ut Lactantius loquitur, Ephes. 4. v. 27.

Exempla sunt Josephus, Genes. 50. v. 19. Christus, Luc. 22. v. 51. Luc. 23.

v. 34. Stephanus, Actor. 7. vers. ult. Julius Cæsar, qui se offendentem dixit: Indignus es Cælaris irâ.

Idem & nos faciamus. Sicut enim apud vindictam se, aculeum, & cum aculeo vitam amittit: Ita & vindictæ cupidus non modò vitam abbreviat sibi: sed & thesaurizat sibi Dei iram in diem iræ, & revelationis justæ judicii Dei, Rom. 2. v. 5. Ira enim & vindictæ cupiditas opera carnis sunt, quæ qui faciunt, Regnum Dei non hæreditabunt, Galat. 5. v. 20. Simus igitur ad reconciliationem proximi, sive offenderimus proximum, sive offensi simus à proximo, Matth. 6. v. 14.

III. *Pauperibus succurre.* Quò respicit Christus, inquiens: Date & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam & coagitatam, & superabundantem dabunt in sinum vestrum.

Ah Dilecti! multi occurrunt fratres & sorores, qui nudi sunt, & indigent victu quotidiano, Jac. 2. v. 15. id quod Dominus sic ordinavit, ut dives & pauper obviant sibi: utriusque operator est Dominus, Prov. 22. v. 21. & juxta severè mandavit, ut opulentiores indigentes sublevent, utque illorum abundantia horum inopiæ sit supplementum, 2. Cor. 8. v. 14.

Hoc ipsa æquitas naturalis postulat. Sol homini largitur lucem & calorem, aliàs in tenebris & frigore periret, vide Sir. 43. v. 4. Terra quotannis producit fœnum jumentis, & herbam servituti hominum, ut educat panem de terrâ, & vinum lætificet cor hominis, Psalm. 104. v. 15.

Sicut



Sicut igitur uniuersa natura de beneficentia prædicat, & omnes facultates suas homini communicat, sic & nos munificentia operam demus, ut spreto Mammonâ cogitemus, Deum nos dispensatores terrenarum facultatum constituisse, ut easdem ad eius voluntatem administremus, Luc. 16. v. 1. Sed & Dei voluntas est, ut proximo laboranti succutramus, ejusque inopiam inde subleuemus. Et quidni illud faceremus? cum non de nostro sed Dei benedictione idem erogemus, ut David confiretur, 1. Paral. 29. v. 14.

Hoc si agnoscere nolimus, Deus aurum & argentum, frumentum, vinum & oleum suum sumere potest, Os. 2. v. 9, sicut de Sodomitis legimus, quod illis fuerit saturitas panis, & felicitas tranquillitatis: quia verò

manum egeno & pauperi non porrexerunt, Ezech. 16. v. 50. Deus subvertit civitates regionis illius, & uniuersam terram, Gen. 19. v. 25.

Optimum igitur erit, ut is, quem Deus terrenis opibus cumulavit, derivet in plateas rivulos aquarum, Prov. 5. v. 16. & necessitatibus Sanctorum communicet, Roman. 13. v. 13. Talis enim mutuò dat Domino, qui retributionem suam reddet ei, hîc & in æternum, Psal. 41. v. 1. seqq. Bonum igitur facientes non defatigemur: tempore enim suo meremus non lassati, Psal. 41. v. 1. seqq. nempe æternam gloriam & salutem, quam nobis DEUS ex gratiâ largiri dignetur, per & propter Christum,  
Amen.

## DOMINICA V. POST TRINIT.

*Evangelium Luc. 5. v. 1. - II.*

### EXORDIUM.

**I**sraelitas olim agnos anniculos immaculatos, duos quotidie in holocaustum sempiternum Deo offerre oportuit, unum manè, & alterum ad vespertim, Num. 28. v. 4.

Hoc ipso mysticè innuitur, quod non modò diem cum Deo inchoare, cumque eodem finire debeamus: sed eo ipso respicitur labor vocationis nostra, & omne propositum sub Sole, ubi Dei auxilio, & adfuentiâ maximè opus est, si feliciter succedere debeat. Cor enim hominis disponit viam suam: sed Domini est, dirigere gressus ejus, Prov. 16. v. 9.

Inveniuntur homines temerarii, qui parùm de Deo & precibus solliciti sunt, sed quando manè evigilant & surgunt, illos quasi manibus ad operas vocationis transcunt, vel etiam talia perpetrant, quæ neque coràm Deo, nec honesto mundo excusare possunt, ideoque benedictione carent, & omnia quæ incipiunt, in maledictione sunt, Mal. 3. v. 9 2.

Qui Deo dediti sunt impietatem hujusmodi fugiant, omne, quod canque faciunt, in verbo, aut in opere, in nomine Domini nostri JESU CHRISTI facientes, Colof. 3. v. 17.

A Jove